DE PARTIBUS QUIBUSDAM HISTORIARUM HERODOTI EARUMQUE COMPOSITIONIS GENERE QUÆSTIONES.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICO-ALEXANDRINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ALFREDUS DOEHLER

BRANDENBURGENSIS

Erlangen.

HALIS SAXONUM,

TYPIS PLOETZIANIS (R. NIETSCHMANN).

MDCCCLXXXVI.

MATRI CARISSIMAE

PIO GRATOQUE ANIMO

AUCTOR.

Duplex est genus artis criticae: alterum continet librorum manu scriptorum emendationem et recensionem, alterum scriptorum aestimationem. Illi iam Fr. Aug. Wolf eiusque discipuli ingeniose studuerunt; huic ei, qui post illos exstiterunt, summam operam navarunt et non omnibus, quae tradiderunt veteres, eandem fidem, non omnibus scriptoribus eandem auctoritatem tribuendam esse demonstraverunt. Quam enim auctoritatem singulis scriptoribus concedemus, apparebit, si quibusnam fontibus usi fuerint, cognoverimus. Namque ea est consuetudo veterum scriptorum, cum aliarum rerum, tum historicarum, ut alios fontes, alios auctores sequantur, nomina eorum reticeant. Polybius quidem et Livius Fabio Pictori annalium scriptori multa debent [1]), Plutarchus, Cornelius Nepos, Trogus Pompeius Ephorum et Theopompum, Isocratis discipulos sequuntur [2]), Diodorus Ephori, Timaei, Clitarchi, aliorum scriptis utitur [3]). Quod si cognoverimus,

---

1) cf. C. W. Nitzsch, die röm. Annalistik, Berlin 1873.
2) cf. A. Heeren, de fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi commentatt. IV, Gotting. 1820.
M. Haug, die Quellen Plutarchs in den Lebensbeschrr. der Griechen, Tübing. 1854.
Albracht, de Themistoclis Plut. fontt. Gotting. 1873.
A. Goethe, die Quellen des Corn. Nep. z. griech. Gesch., prg. Gr. Glog. 1878.
Hil. Wolffgarten, de Ephori et Dionis historiis a Trogo Pompeio expressis, Bonnae 1868.
3) C. A. Volquardsen, Untersuchungen über die Quellen der griech. u. sicil. Geschichten b. Diod. XI—XVI, Kiel 1868.

ea quoque, quae veteres tradiderunt, nisi omnium consensu confirmantur, pro certo habere dubitabimus. Quae Thucydides rettulit, prius ab omni opinionis arbitrio remota ex rebus factisque narrata habebantur; iam eum sine ira et studio scripsisse minus verisimile videtur esse. Nam Cleoni nimis detrectavit, Niciam nimis laudibus extulit. Praeterea multa silentio praeteriit, quae referre eum oportuit [1]). Plane aliam atque Thucydides Herodotus scribendi init rationem, qui non singulas tempestates, sed totius orbis terrarum tum antiquis noti historias describere conatus id studet, ut quaecunque ipse viderit, ipse compererit, quaecunque debuerit aliorum narrationibus, legentium proponat animis eorumque arbitrio permittat, quid verum habeant, quid falsum, disceptare [2]). Aliorum scriptis cum pauca debeat, difficile est perscrutari, quibusnam fontibus, maxime in posterioribus scriptis, usus historias suas composuerit et qua ratione opus suum conformaverit.

Itaque hac mihi commentatione proposui, ut quae alii de hac re disseruerunt, paullo diligentius perquiram, aut si opus erit, reiciam quaeque magis probabilia videantur, proponam.

Accurate in Herodoti fontes cum aliarum historiarum, tum bellorum Persicorum inquisivit C. W. Nitzsch in mus. rhen. vol. XXVII; multa protulit, quae ingeniose commentata, prima specie comprobanda videntur esse, sin accuratius consideraveris, certis argumentis confirmari nequeunt. Itaque

---

[1]) cf. Müller-Strübing, Aristoph. und die historische Kritik, p. 359 sqq., 425 sqq., 432, 441, 466, 482 sq.
[2]) cf. II 123, III 122, VI 55.

ante omnia inquiramus, si placet, quid eorum, quae Nitzsch protulit, probari possit, quid minus probabile videatur.

Maximam materiae partem, in qua Herodoti historiae de rebus Aegyptiis, Libycis, Punicis, Assyriis, aliis positae sunt, Nitzsch ex eis traditionibus consistere putat, quas Herodotus II 99, 142, 161, aliis locis λόγους vocare solet. λόγους illos intellegit Nitzsch certas quasdam gentium traditiones, quas scriptor per colloquia in itineribus suis ex aliorum narrationibus acceperit. Certas esse illas traditiones inde apparere, quod praeter eas aliae quoque narrationes, ad idem argumentum pertinentes proferantur, sed ita, ut prioribus illis haud raro repugnent. Quas omnes Herodotum in opus suum recepisse, ut, quoad fieri posset, suam cuique genti traditionem servaret, sed professum, fidem earum praestare se non posse [1]. Qua in re artis criticae initia quaedam exigua apud scriptorem inveniri.

Quaestionem Nitzschii ex vi ac potestate notionis Λόγος profectam totamque fere in eadem positam rectam iniisse rationem iure affirmari posse arbitror. Omnes enim illae narrationes vel historiae, ex quibus scriptor opus suum historicum composuit, ab ipso λόγοι vocantur. Sed dubitari posse videtur mihi, num ex eis, quos protulit N., locis sententia notionis illius λόγος apud Herodotum semel in perpetuum definiri possit et ita definiri, ut in ea nihil aliud, nisi certam quandam gentis alicuius traditionem intellegamus. Videamus igitur, quaenam sententia notioni λόγος aliis locis tribuenda sit atque eis, quorum mentionem fecit N. Sed cum longum sit omnes proferre locos, quibus vocabuli λόγος

[1]) VII 152: πείθεσθαί γε μὴν οὐ παντάπασι ὀφείλω·

mentio fit, eos tantum respiciamus, qui ad quaestionem nostram pertinent, h. e. quibus de genere quodam narrationis agitur.

Plerumque intellegitur *λόγος* id quod *λέγεται*, h. e. oratio quaedam, et apud Herodotum ea oratio, quam ab aliis audivit, i. e. narratio quaedam ore hominum propagata.

Quod cum ex aliis locis apparet, tum ex l.ⁱ I. c. 183: *τὰ δὲ λέγεται ὑπὸ Χαλδαίων, ταῦτα λέγω* et VI 54: *ὡς δὲ ὁ παρὰ Περσέων λόγος λέγεται.* Conferatur quoque II 123: *ἐμοὶ δὲ παρὰ πάντα τὸν λόγον ὑποκέεται, ὅτι τὰ λεγόμενα ὑπ' ἑκάστων ἀκοῇ γράφω*, ubi *τὰ λεγόμενα* idem fere est atque *οἱ λόγοι*, narrationes. Nec raro legimus apud scriptorem nostrum *λόγον λεγόμενον*, relatam orationem, narrationem, velut IV 12: *οὗτος δὲ ἄλλος ξυνὸς Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων λεγόμενος λόγος εἴρηται*, IV 179: *ἔστι δὲ καὶ ὅδε λόγος λεγόμενος*, aliis locis [1]). Quibus omnibus cum de alio quodam *λόγῳ* dicatur, nihil impedimento est, quominus in illis eam, quam posuit Nitzsch, verbi notionem accipiamus, qui *λόγον* certam quandam traditionem significare dicit, quod praeter eam aliae quoque traditiones, ad idem argumentum pertinentes, inveniuntur.

Sed praeter illos locos alii proferri possunt, quibus alia notio statuenda videtur esse.

Intellegitur *λόγος* etiam mentio, fama, rumor, velut I 30: *περὶ σέο λόγος ἀπῖκται πολλός*, I 75: *ὡς ὁ πολλὸς λόγος Ἑλλήνων*, II 75: *λόγος ἐστί*, III 115: *ἀπ' ὅτευ τὸ ἤλεκτρον φοιτᾶν λόγος ἐστί*, VI 86: *τῆς σῆς δικαιοσύνης ἦν λόγος πολλός*, aliis locis [2]). Eodem mihi videntur spectare, quae Herodoto sacerdotes Aegyptios sciscitanti referuntur [3]).

---

[1]) cf. VII 214. VIII 118, 119.
[2]) cf. VI 113, VII 198. VIII 10.
[3]) II 54, 113, 116, 118 sqq.

Illi enim de omnibus rebus aliquid, de nulla re certum aliquid noverant; non semper igitur omnibus illis locis, quibus agitur de Aegyptiorum *λόγοις*, certa quaedam traditio intellegi potest. Simillima est ratio eorum, qui apud Persas historiarum periti (*λόγιοι*) vocantur, vel, ut ait Hesychius, *οἱ τῆς ἱστορίας ἔμπειροι.* Quorum narrationes vel historiae illis solis continebantur rebus, de quibus modo diximus. Multi enim erant in Asiae minoris litoribus Persarum magistratus, ad quos, cum commercium haberent cum Graecis, et rerum ab illis gestarum et traditionum, quae apud illos vulgo ferebantur, cognitio facile pervenire poterat. Quorum in numero habendi sunt *λόγιοι* illi, de quibus Herodotus I 1 loquitur [1]). Non mirum debet videri, si ea, quae a Graecis acceperant, per annos mutata alio modo rettulerint, neque inde duas quasdam certas traditiones, *Περσικοὺς* et *Ἑλληνικοὺς λόγους* fuisse existimare licet.

Tertia quaedam vocabuli *λόγος* notio maximi momenti videtur esse. Est enim *λόγος* non solum narratio ore hominum propagata, sed etiam litteris consignata et posteriorum memoriae tradita. Quod maxime ex locis illis apparet, quibus Herodotus sine dubio ad universum suum opus historicum spectat. Dicit enim II 123: *ἐμοὶ δὲ παρὰ πάντα τὸν λόγον ὑποκέεται, ὅτι τὰ λεγόμενα ὑπ' ἑκάστων ἀκοῇ γράφω* = mihi ‚per totam hanc historiam' propositum est, ut ea describam, quae a quibusque memorata audivi. Et VII 152: *ἐγὼ δὲ ὀφείλω λέγειν τὰ λεγόμενα, πείθεσθαί γε μὴν οὐ παντάπασι ὀφείλω, καί μοι τοῦτο τὸ ἔπος ἐχέ-*

---

1) cf. quae de illis disseruerunt Baehr, Creuzer, alii in editionum annotatt.

Matzat, Herodots Angaben über Asien, Hermes VI p. 451.

τῳ ἐς πάντα τὸν λόγον = atque hoc ‚in universam hanc historiam' dictum esto. VI 19: ἐπεὰν κατὰ τοῦτο γένωμαι τοῦ λόγου = si ad illum narrationis (h. e. operis mei) locum pervenero, ibidem s. fin.: πολλάκις μνήμην ἑτέρωθι τοῦ λόγου ἐποιησάμην = saepe alibi in hac narratione mentionem feci. IV 16: τῆς δὲ γῆς, τῆς πέρι ὅδε ὁ λόγος ὥρμηται, λέγεσθαι = regione illa, de qua haec narratio instituta est. Ab hac notione distat, quae ponenda est in l.i II c. 38: τὰ ἐγὼ ἐν ἄλλῳ λόγῳ ἐρέω et in l.i VI c. 39: τὸν ἐγὼ ἐν ἄλλῳ λόγῳ σημανέω, quibus locis scriptor non de universo suo opere loquitur, sed de singulis enarrationis partibus. Sed cuiusnam generis erant partes illae? Nimirum partes quaedam per se, diversis temporibus aut locis conscriptae, vel, quod idem est, libri, capita narrationis, quibus totum opus continetur[1]). Verba enim illa τὰ ἐν ἄλλῳ λόγῳ ἐρέω sine dubio pertinent ad III 28, ubi inveniuntur, quae scriptor II 38 se in alia operis sui parte accuratius descripturum pollicetur. Eadem est ratio alterius loci, VI 39, qui ad VI 103 spectat. Exstant alii quoque loci, quibus magis etiam perspicuum videtur esse, λόγον ab Herodoto intellectum esse caput quoddam historiarum suarum vel partem aliquam per se conscriptam. Ita V 36 legimus ὡς δεδήλωταί μοι ἐν πρώτῳ τῶν λόγων, qui λόγος omnia complectitur, quae de rebus Lydorum narrantur. Ad eandem partem, quae est de rebus Lydorum, spectat II 161: τὴν ἐγὼ ἐν τοῖσι Λιβυκοῖσι λόγοισι ἀπηγήσομαι, ad eam, quae est de rebus Assyriorum, I 184: τῶν ἐν τοῖσι Ἀσσυρίοισι λόγοισι μνήμην ποιήσομαι. Immo tantum abest, ut hoc loco, quo de Assyriorum rebus

[1]) Cf. Birt, Das antike Buchwesen, p. 466 sqq.

se mentionem facturum scriptor pollicetur, certam aliquam traditionem intellegamus, ut, si non certum quendam libellum de Assyriorum rebus ab eo scriptum statuere volumus, hoc tamen concedere debeamus, eum partem propriam ac peculiarem historiarum in Assyriorum res describendas impendere animo intendisse, morte autem praematura id facere prohibitum esse.

Omnes illae partes, quas diximus, capita sunt narrationis, per quae auctor historias suas distribuit, historias scilicet Lydorum, Aegyptiorum, aliorum, quae omnes idem valent ac libri de rebus Lydorum, Libycorum, Aegyptiorum. Ac re vera et a Suida (s. v. *Ἡρόδοτος*) et a Photio (bibl. cod. 60 ed. Bekker p. 19) Herodoti historiarum libri dicuntur *Ἡροδότου ἱστοριῶν λόγοι θ'*. Neque mirum debet videri, si dicimus, libros illos a scriptore constitutos cum eis, quibus nos in opere eius legendo utimur, non consentire, quamquam consentire videntur, si V 36 primi libri mentio fit (*πρῶτος τῶν λόγων*). Sed primus ille liber, qui est de rebus Lydorum, iam I 94 finitur, quo facto capite insequenti narratio ad Cyrum transit. Ad quam narrationis partem paullo infra redibimus.

Iam alium quendam locum consideremus, ut verum esse, quod supra diximus, intellegamus. VI 39 scriptor caedem patris Cimonis, quomodo patrata fuerit, in alia historiarum parte se expositurum pollicetur, quod fit non alio libro, sed eiusdem libri capite 103. *Λόγοι* igitur illi, de quibus modo disputavimus, eodem modo non consentiunt cum libris historiarum Herodoti, quo Homeri carminum notatio, quam scriptor commemorat, cum ea, qua nos utimur. Utriusque enim litterarum monumenti partitio, qualis ad

nos pervenit, referenda est ad eandem originem, quae est apud grammaticos illos Alexandrinos. In utroque partes quaedam per se compositae discerni posse videntur; quod apud Herodotum cum ex aliis locis tum ex libri I[i] c. 140 fin. apparet, ubi dicit *ἄνειμι δὲ ἐπὶ τὸν πρότερον λόγον*, postquam ib. c. 131—140 *λόγους Περσικούς* descripsit, qui I 75 *οἱ ὀπίσω λόγοι* dicuntur.

Num haec omnia, omnes illi *λόγοι* certae quaedam sunt gentium traditiones, ut statuit Nitzsch, et ex ore quidem hominum acceptae, postea ab Herodoto litteris mandatae? Immo partes quaedam certae sunt per se conscriptae, narrationes, capita totius operis historici, e pluribus quam uno fonte diversique generis materia composita. Neque enim ex uno illo fontium genere ea esse composita, quod Nitzsch certam gentium traditionem existimat, inde effici posse puto, quod scriptor suo tantum, h. e. Graeco sermone usus ea, quae rettulit, e Graecae linguae peritis[1]) audire potuit, qui traditiones certi cuiusdam generis suo more referebant vel casu consiliove commutabant[2]).

Inesse illis *λόγοις Λυδίοις*, *Λιβυκοῖς*, *Αἰγυπτίοις*, aliis interdum quoque certas quasdam relationes non solum, sed etiam posse inveniri non dubito concedere.

Conferas quaeso l. I c. 17—20 de Alyatte belloque Milesiaco (narrationes Milesiorum), ib. c. 23 de Periandro et Arione (traditiones Corinthiorum et Lesbiorum), II 102—111 de Sesostri rege Rhesoque filio, ibid. 121 123 de Rhampsinito rege, III 129—138 de Democede medico,

---

[1]) cf. II 154: *οἱ νῦν ἑρμηνέες ἐν Αἰγύπτῳ*.
[2]) Matzat, l. i.

IV 5 sqq. traditiones de genere atque origine Scytharum, quarum proferuntur quattuor (c. 5—7, traditiones Scytharum, c. 8—10, Graecorum ad Pontum Euxinum habitantium, c. 11—13, qua in traditione referenda Graecis convenit cum barbaris, c. 13—15, Issedonum traditio, cuius est auctor Aristeas Proconnesius.) Huius generis aliis quoque locis quaedam referuntur, sed longum est omnia enumerare; nonnullorum mentionem fecit Stein in prooemio editionis suae p. XXIV annot. 1.

In illis ‚λόγοις‘ certa quaedam hominum ore vel fama tradita perque annos in firmiorem narrationis formam redacta cognoscere licet. Sed non recte existimamus, si λόγους illos *Αἰγυπτίους*, *Λιβυκούς*, alios eodem modo intellegimus, quo eos, de quibus modo diximus; sunt enim illi λόγοι partes sive libri totius operis historici, per quae Herodotus illud, *πάντα τὸν λόγον*, distribuit.

Historiam rerum cum Persis gestarum ab Herodoto eodem modo conscriptam esse atque libros illos de rebus Lydorum, Aegyptiorum, aliorum, quod Nitzsch p. 240 affirmat, concedi posse arbitror.

Sed non idem sentio de ratione, qua N. utramque historiarum partem compositam esse putat. Probare enim studet, plerosque libros posteriores de bellis Persicis eodem modo consistere ex singulis quibusdam eisque certis traditionibus, quo libri de rebus Lydorum, Aegyptiorum, aliorum, eo tantum discrimine interposito, ut scriptor singulos λόγους in posterioribus libris non tam perspicue adnotaverit, quam in prioribus.

Quid de λόγων natura atque genere sentiamus, iam supra exposuimus; hoc unum repetere liceat, nos singulas

quasdam traditiones esse in omnibus libris haud negare, sed illos ex eis compositos esse, concedere non posse, quod paullo infra demonstrare conabimur. Accedit, quod, si cognoscere volumus, quomodo Herodotus historias suas composuerit, ante omnia nobis quaerendum est, quo tempore et ubi eas composuerit, unde apparebit, utrum singulae historiarum partes per se conscriptae sint, nec ne.

Permulta esse disputata de vita et itineribus Herodoti cum satis notum sit[1]), hoc loco recentem de eadem re quaestionem facere nobis in animo non est; sed ex illis, quae alii de ea re disseruerunt, liceat proferre, quae maxime probabilia esse videantur.

Natus est Herodotus inter annum 490 et 480, vel si Gellium (N. A. XV 23) sequimur, anno fere 484. Patria eius erat Halicarnassus, urbs Cariae Dorica origine sub

---

[1]) cf. F. C. Dahlmann, Herodot. Aus seinem Buche sein Leben. (Forschungen auf dem Gebiet d. Gesch. II 1.) Altona 1823.

Ad. Schoell, Philologus IX 193. X 25. 410.

C. F. Baehr, Comment. de vita et scriptis Herod. (Herodoti Musae vol. IV, ed. II[a] 1861).

Fr. Creuzer, Comm. Herod. Lips. 1819. P. I.

G. L. Heyse, De Herodoti vita et itineribus, Berol. 1826.

H. F. Jaeger, Disputt. Herodot., Gotting. 1828.

C. Hachez, de Herodoti itineribus et scriptis, Gotting. 1878.

A. Kirchhoff, Entstehungszeit des Herod. Geschichtswerkes, Berlin 1878.

A. Bauer, Herodots Biographie. Sitzungsber. d. phil. hist. Cl. der kais. Akad. zu Wien LXXXIX 391.

Idem, Entstehung des Herod. Geschichtswerkes, Wien 1878.

H. Stein, Herodot erklärt. I Einl. 4. Aufl. Berlin 1877.

G. Rawlinson, The history of Herodotus. A new English Version. London 1858, I 1—149.

A. H. Sayce, Herodotus I—III. London 1883. p. XIV sqq.

Persarum imperii ditionem redacta. Herodoti autem temporibus tyrannis, cuius imperium tenebat Lygdamis, Artemisiae reginae illius bellicosissimae nepos. Cui eiciendo Herodotum operam navasse refert Suidas s. v. *Ἡρόδοτος* Samumque migrasse ob Lygdamidis tyrannidem. Quod quo anno sit factum. certis testimoniis confirmari non potest; hoc unum certum videtur, Herodotum patria relicta Samum petivisse ibique litteris operam navasse. Cum Halicarnassum anno 454 societatis illius navalis Atheniensium participem esse tributorum tabulae confirment[1]), anno fere 460 tyrannidis illius Lygdamidis finem factum esse atque Herodotum in patriam revertisse verisimile est. Qua in perpetuum relicta, cum se civibus invisum esse intellexisset (*φθονούμενος ὑπὸ πολιτῶν* Suid.), itinera per Medorum, Assyriorum, Persarum fines ingressus est et quidem post annum 455, quo Inari seditionem, cuius mentio fit III 12, oppressam esse constat, in Aegypto versatus, usque ad annum 445 peregrinatus eodem fere tempore (a. 445 s. 444) Athenis recitavit[2]). Inde eum Thurios, quo tum Athenienses coloniam deducebant, ultro cessisse apud Suidam legimus, quod confirmatur Strabonis et Plutarchi testimoniis.[3]) Post annum 432 Athenas eum revertisse ex li. V c. 77 iure colligere licet. Quousque ibi commoratus quove tempore mortuus sit, certo nequit affirmari; non esse cur ultra Ol. 88, 2 = a. Chr. 427 eum vixisse existimemus, Ad. Schoell argumen-

---

[1]) cf. Sauppe in „Göttinger gelehrte Anzeigen“ 1863 p. 303 sqq.

[2]) Plut. de malign. Her. c. 26 p. 862 B. Eusebius Chronicon p. 169 ad Ol. 83, 4 (445/4).

[3]) Strab. XIV p. 970 A. Plut. de exsil. 13. Cf. etiam Schol. ad Aristoph. Nub. 331.

tis satis probabilibus demonstrare studuit, neque de vero videntur declinare, qui Herodotum eodem, quo Pericles perierit morbo, pestilentia implicatum Athenis defunctum esse putent.

Ex eis, qui de tempore, quo Herodotus singulos historiarum libros composuerit, disputaverunt, Bauerum et Schoellium sequor, qui libros tres posteriores prius esse conscriptos quam priores ex opere ipso scriptoris cognosci posse perspicue exposuerunt, neque eis, quae alii contra dixerunt, commoveri potui, ut hanc sententiam commutarem. Immo congruere eam cum eis, quae de Herodoti vita statuimus, paulo infra videbimus.

Schoellii enim et Baueri argumenta qui impugnaverunt, etsi quaedam eorum infirma labefactasse sibi videntur, tamen omnia refellere vel tollere nequeunt. Non erit infitiandum, cum alia tum praeclarorum virorum genera in libris posterioribus multo accuratius explicari quam in prioribus, ubi scriptor eadem legentibus nota esse existimat.

Praeterea loci quidam exstant inter se repugnantes, quorum discrepantias neque scriptoris neglegentia aut festinatione excusare neque referre poteris ad diversos fontes, quos ille religiosissime secutus uniuscuiusque auctoritatem servare studet, sed non aliter explanare, ac si libros tres posteriores prius quam antecedentes singillatim compositos esse posueris. Conferas quaeso IV 145: *δεξάμενοι [Λακεδαιμόνιοι] δὲ τοὺς Μινύας γῆς τε μετέδοσαν καὶ ἐς φυλὰς διεδάσαντο* cum c. 35 l.[i] IX: *μοῦνοι δε δὴ πάντων ἀνθρώπων ἐγένοντο οὗτοι [Τισάμενος καὶ Ἡγίας] Σπαρτιήτῃσι πολιῆται.* Non debet dubitari, quin, si liber IV conscriptus esset ante librum IX, scriptor in hoc rationem habiturus fuerit loci illius

libri IV; fieri enim non potuit, ut scriberet *μοῦνοι δὲ . . . ἐγένοντο οὗτοι*, si iam antea de aliis eadem rettulerat. Facile autem enodari poterit illa discrepantia, si librum IX ante l. IV compositum esse statuimus. Nam in libro IV conscribendo plura de eadem re noverat, occasione postea data in itineribus accuratiorem sibi comparandi cognitionem. Atque huiuscemodi quidem loci discrepantes saepius possunt observari. Inveniuntur enim et in prioribus libris et in posterioribus loci, quos, cum in utrisque de eadem re disseratur, inter se pugnare negari non potest; quae in posterioribus libris minus accurate proferuntur vel leviter tanguntur, eadem in prioribus multo accuratius referuntur vel corrigi videntur. Quas historiarum partes Herodotum non auctores suos secutum, sed tum demum conscripsisse puto, cum interiorem rerum scientiam consequi potuit.

Illorum enim locorum longe alia est ratio atque eorum, qui praeclarorum virorum genera exponunt, quibus in locis nulla est diversitas. Repugnant autem inter se VII 74: *οὗτοι [Μυσοὶ] δέ εἰσι Λυδῶν ἄποικοι* et I 171: *ἀποδεικνῦσι δὲ . . . ἱρὸν ἀρχαῖον, τοῦ Μυσοῖσι μὲν καὶ Λυδοῖσι μέτεστι ὡς κασιγνήτοισι ἐοῦσι τοῖσι Καρσί· τὸν γὰρ Λυδὸν καὶ τὸν Μυσὸν λέγουσι εἶναι Καρὸς ἀδελφεούς.* — VII 150: *ἐλθόντα δὲ τοῦτον λέγεται εἰπεῖν . . . ἡμεῖς [οἱ Πέρσαι] νομίζομεν Πέρσην εἶναι, ἀπ' οὗ ἡμεῖς γεγόναμεν, παῖδα Περσέος τοῦ Δανάης, γεγονότα ἐκ τῆς Κηφέος θυγατρὸς Ἀνδρομέδης. οὕτω ἂν ὦν εἴημεν ὑμέτεροι [Ἀργείων] ἀπόγονοι* et VI 54: *ὡς δὲ ὁ παρὰ Περσέων λόγος λέγεται, αὐτὸς ὁ Περσεὺς ἐὼν Ἀσσύριος ἐγένετο Ἕλλην, ἀλλ' οὐκ οἱ Περσέος πρόγονοι.* —

Conferendum est porro VII 149 cum V 75, ubi id,

quod altero loco dicitur, corrigitur, VIII 98 et V 52—54, ubi via regia accuratissime describitur, cum illo loco de viae longitudine nihil certius comperamus. VII 8 Sardium expugnatio breviter commemoratur, V 101 multis verbis narratur, scilicet quia de hac re melius scivit.

Tertium argumentum, quo cum id, quod supra contendimus, confirmatur, tum illud, Herodotum non deinceps eo, quo nunc utimur, ordine scripsisse, sed priores historiarum partes vel libros posterioribus composuisse vitae temporibus, inde quoque capere licet, quod in prioribus libris inveniuntur loci, quos Thuriis, quo scriptor post annum 444 pervenit, scriptos esse nemo non negabit, velut I 166, III 130—139, V 44, alii, quos Roese[1]) enumerat. Denique ut aliud afferam exemplum, ex quo de ordine, quo scripserit auctor, coniecturam facere possumus, quomodo fieri potuit, ut Herodotus III 60 scriberet, antequam II 148 composuit?

Sed quae de temporibus, quibus scriptor libros suos composuerit, dici possint, quomodo cum eis, quae de vita Herodoti statuimus, consentiant, videamus.

Si verum est, Herodotum anno fere 445 Athenis aliquid recitasse, ante eum annum scripserit aliquid necesse est, ut Hachez[2]) recte docuit. Neque abhorrere a vero puto, scripsisse cum Sami et quae dignissima essent, ut describerentur, et quae scriptori ipsi maxime nota fuissent. Quo praecipue pertinet Jonum rebellio, quae bella illa gravissima inter Persas Graecosque gesta peperit. Atque cum scriptor maxime id ageret, ut quae fuerit causa inimicitiarum inter

---

[1]) Fleckeis. Jahrbb. f. Philol. v. 115, p. 260—61.
[2]) De Herodoti itineribus etc. diss. Gotting. 1878.

Asiam et Europam anquireret, historiam universalem componere haud dubie animo intendit. Cuius historiae magnam vel maximam partem pugnae Graecorum contra Persas pugnatae occupant neque vero ultimum in historia illa universali locum obtinent. Quarum dissensionum initia in rebellione Jonum posita cum e nullo alio fonte melius petere posset, quam e narrationibus ipsorum Jonum maximeque Samiorum, Sami Herodotum initia bellorum contra Persas gestorum descripsisse verisimile est. Confirmat quoque Suidas s. v. *Ἡρ.*, Herodotum Sami historiam suam composuisse; quod cum repugnet eis, quae Plinius [1]) de opere scriptoris Thuriis composito refert, neque putare possimus, utrumque scriptorem, quae narraverit, sibi finxisse [2]), immo, quae rettulerit, aliquo modo coniungi posse videantur, Sami partem illam historiarum, quae est de rebellione Jonum bellorumque Persarum atque Graecorum initiis, compositam esse pro certo habere non dubitamus. Sed non solum illa, verum etiam alia Sami conscripta esse ex Herodoti narrationibus ipsis apparet. Samios in partibus quibusdam [3]) operis imprimis in luce versari Schoell (Philol. X p. 31) et Stein (in prooemio editionis, p. X ann. 2) demonstraverunt. Quae partes illas praecedunt [4]), ad Lacedaemoniorum res pertinent, unde Schoellio concedi posse puto, Herodotum Samo Lacedaemonem petivisse, ut earum rerum, quas describere in animo ei erat, scientiam penitus perciperet et comprehenderet. Atque

---

1) H. N. XII 18.
2) Contra videtur Kirchhoffio, Entstehungszeit etc. p. 2.
3) VIII 85. IX 90, 91, 99, 103, 106.
4) VII 204—10. IX 53, 71, 85.

Samo scriptorem recto itinere Lacedaemonem esse profectum, inde quoque verisimile videtur, quod perfacile uno die Samo Lacedaemonem vento secundo petere Graeci potuerunt. Lacedaemone non minus quam Sami scriptor satis multas ex incolis narratiunculas audivit; sed easdem illas certis finibus circumscriptas generisque publici fuisse, ut Nitzsch confirmare studet, persuadere mihi non possum. Nam si conceditur, rem esse summae difficultatis, enucleare priorum historicorum narrationes, quibus Polybii et Livii historiae multum debent — id quod Nitzsch in libro suo ‚Die römische Annalistik etc.' mirabili quadam sagacitate atque subtilitate conatus est, sed saepissime nulla alia ratione, nisi sola coniec ura — si igitur perdifficile est, investigare eas litterarum vetustarum reliquias, quid dicamus de certa fide vel determinatione earum traditionum, quas ex Lacedaemoniorum ore acceptas Herodotus historiis suis inseruit? Publici enim generis certamque in formam redactas eas fuisse ex Herodoti narrationibus demonstrari nullo modo potest, quare Nitzsch, ut verum esse ostendat, id quod probare studet, locos illos apud Xenophontem et Platonem profert. Sed multo magis verisimile videtur, Herodotum Lacedaemone quoque ex singulorum hominum narrationibus petivisse, quae de rebus a Lacedaemoniis praeclare gestis rettulerit.

Quod ex ipsius narrationibus facile conici potest. Conferas, quaeso, III 53, ubi scriptor se Lacedaemone versatum cum Archia quodam Pitaneta congressum esse narrat. IX, 71 refert, in pugna Plataeensi inter Graecos praeter ceteros floruisse Lacedaemoniorum virtutem atque inter singulos viros prae ceteris fortissime pugnasse Aristodemum, Posidonium, Philocyonem, Amompharetum. Haec Nitzsch ex sermonibus

illis Lacedaemoniorum convivalibus petita esse putat; equidem sentio, referenda esse ad Archiae illius narrationes. Cognoscimus enim IX 53 Amompharetum Pitanetarum ducem. quid igitur magis apparet, quam Archiam res a duce illo aliisve praeclare gestas Herodoto narravisse? Cuius narrationis ratio plane eadem est atque aliarum, quas scriptor aliis debuit aut aliunde acceptas rettulit. Immo tantum abest, ut Lacedaemoniorum traditionibus maiorem habeamus fidem quam aliis, easque illis postponendas censeamus, ut pro certo habere non dubitemus, ea, quae scriptor ex Lacedaemoniorum narrationibus acceperit, fide historica multo esse inferiora [1]) eis, quae Athenis e gentium quarundam traditione recepit; quae qualia sint, paullo infra videbimus.

Herodotus postquam anno fere 459 Samo domum revertit, composuit ea, opinor, quae ad pugnam Mycalensem pertinent. In hac enim operis parte certam quandam inesse relationem dici potest, quod unus stat color per totam eam narrationem, atque unus est sonus totius narrationis. Quod quomodo factum sit, facile est ad intellegendum. Namque cum tempora, quibus haec scripsit Herodotus, ab illis, quibus pugnae apud Mycalem committebantur, non multum distarent, Sami vel Halicarnassi vel omnino in illis Asiae minoris litoribus multi erant auctores, quorum e narrationibus, quid verum esset, facile cognoscere poterat. Non igitur traditionem quandam certis finibus circumscriptam et a gentibus conservatam in illa historiarum parte intellegimus, sed narra-

---

[1]) Conferas quoque, quae Duncker (Gesch. d. Altert.) t. VII 75 de Lacedaemoniorum traditionibus iudicaverit. Et porro p. 81 sqq.

tionem congruentem inter omnes, quos Herodotus auctores secutus est.

Singulas quoque singulorum hominum traditiones fuisse, e quibus manarunt, quae Herodotus de rebus et apud Plataeas et omnino in Boeotia gestis refert, perspicuum erit, si unde scriptor ea petiverit consideraverimus. Conferas, quaeso, IX 16, 84, unde apparet, scriptorem multis locis homines multos sciscitatum esse, verum ut traderet [1]). Non enim ea sola, quae singuli unius gentis homines narrabant, audienda erant, sed quae referebantur ab Atheniensibus, Plataeensibus, Thebanis, Argivis, Lacedaemoniis, Corinthiis, vel omnino a pugnarum illarum sociis [2]), quae omnia certo eo consilio, ut suas quaeque gens res augeret, pervulgabantur. Quod maxime apud Athenienses factum esse et Nitzsch concessit et Wecklein [3]) perbene exposuit. Namque Halicarnassi ali-

---

[1]) Conferendum quoque est VI 98. 117. VIII 38. 39. 65. IX 16. Stein annot. ad VII 163, VIII 126. — Mirum videtur, si contenditur [Panofsky, de historiae Herodoteae fontibus, diss. Berol. 1884], Herodotum plerumque, ubi dicat ‚narrari‘, scriptorum narrationes respicere; namque etiamsi illum historicorum narrationes, velut Hecataei et aliorum, non neglexisse concedendum est (cf. II 21 sqq., 143. IV 13, 36, 44. V 36, 125. VI 137. Porphyr. ap. Euseb. pr. ev. X 3, 166 p. 466 Dind. *Ἡρόδοτος ἐν τῇ δευτέρᾳ πολλὰ Ἑκαταίου κατὰ λέξιν μετήνεγκεν ἐκ τῆς περιηγήσεως*), minus tamen in eis legendis versatum esse, ut verum cognosceret, quam ipsum pleraque ex hominum ore comperuisse vel sciscitando accepisse itinera non sine magno labore multisque molestiis suscepta satis demonstrant.

[2]) Relatae sunt sociorum illorum tabulae accurate apud Pausan. V 23.

[3]) Comm. ‚Ueber die Tradition der Perserkriege‘, Sitzungsber. der philos. philol. Cl. d. k. bair. Akad. München 1876, p. 270 sqq.

quamdiu moratus itinera ingressus est Herodotus per Mediam, Assyriam, Persarum fines et intra annos fere 450 et 445 Athenas profectus, quae ibi de rebus ab Atheniensibus praeclare gestis narrabantur, historiis suis conscribendis inseruit. Neque solum e belli in Boeotia gesti, verum etiam e pugnae Marathoniae historia dilucide apparet, scriptorem magis quam alios Athenienses miratum occasione data laudibus illos praeter ceteros extulisse [1]). Earum rerum, quae de pugna apud Marathonem facta narrantur, permulta e traditione gentis Philaidarum, cuius erat Miltiades, repetita esse, alia ex annalibus, ut ita dicam, Alcmaeonidarum fluxisse Nitzschio concedere non dubito neque hoc loco certi cuiusdam ampliorisque generis nonnulla a gentibus, quarum familiaritate usus est scriptor, nonnulla a viris illustrissimis, qui tum erant Athenis, Herodoto tradita fuisse nego; sed ea certis quasi terminis constituta apud illum ex reliqua rerum historia exstare atque eminere ac prout sint recepta, ex eadem enucleari posse mihi non persuadetur.

Quamquam quae de Alcmaeonidis proferantur, inter alia enitere [2]) haud decet infitiari. Haec tamen narrationum diversitas ea potissimum de causa plane apparet atque exstat, quod scriptor cum de ceteris Atheniensium rebus, tum de eis, quae pertinent ad reipublicae conformationem inde a Clisthenis usque ad Themistoclis aetatem, ex eiusdem generis fonte haurire non poterat, eaque in illis ei deerat rerum scientia, quam ex singulis gentium annalibus percepit. Itaque, quae in hac Herodoti historiarum parte traduntur, non eadem

---

[1]) cf. VI 112, 131. VII 139. VIII 91, 93, 95. IX 27, 74 sqq. — Schoell, Philol. X p. 421.
[2]) cf. VI 121–126.

accipere possumus fide, qua cetera, quae referuntur ad res bello gestas bellorumque causas [1]). Quas cum describeret historiarum auctor, sine dubio permultos veteres invenit bellorum contra Persas gestorum socios, quorum narrationibus ad historiam rerum cum Persis gestarum conscribendam usus est (cf. Nitzsch p. 241); unde colligere licet, gravissimas historiarum illarum partes iam anno 445 perfectas ab Herodoto Athenis recitatas esse.

Quid enim magis Atheniensium animos delectare potuit, quam res ab ipsis praeclare gestae, postea monumento aere perennius celebratae, aut quo pacto Herodoto, nisi Atheniensium facinora recitavit, ab eisdem tanti praemii honos attributus est? Praeterea, quae de rebus ab Atheniensibus bene gestis referuntur, tam artificiose sunt elaborata tantoque contextu atque continuatione rerum ac verborum inter se coniuncta, ut magis ad recitandum quam ad legendum composita esse videantur. Quae Herodotus in itineribus suis longioribus iam antea factis collegerat memoratu digna, non eo consilio annotaverat, ut eadem recitaret, sed ut describendis multis illis variisque gentibus, quae bellorum inter Persas Graecosque gestorum participes fuerant, civibus suis Graecis gentium illarum barbararum vitam, mores, sedes diligentius proponeret. Itaque facile intellegitur, quomodo factum sit, ut partes illae historiarum de barbararum gentium rebus parum continenter conscriptae videantur neque eodem modo inter se cohaereant atque historiae rerum Atheniensium, quae ,velut lana fila sua

[1]) cf. Lugebil in Fleckeis. Jahrbb. suppl. V (1864 — 1872) p. 640.
Nitzsch, Röm. Annalistik p. 220.
Stein, annot. ad V 71.

sequente nulla alia re interposita legentium animis proponuntur.

Sed quamvis magno Athenis praemio honoratus, civitate tamen scriptor Halicarnassensis non donatus est; quod nescio an causae fuerit, cur anno 444 Athenis relictis expeditionem illam vel coloniam panhellenicam Thurios deducendam secutus sit. quo tres phylae incolarum Graeciae septentrionalis, tres phylae Peloponnesiacae, quattuor phylae Jonicae se contulerunt, ut ibi sub aequis condicionibus civitate uterentur. Locos nonnullos in prioribus historiarum Herodoti libris inveniri, unde colligere licet, eosdem Thuriis, h. e. post annum 444 conscriptos esse, iam supra commemoravimus. Thuriis quoque scriptori plurimum otium fuisse videtur, ut singulas historiarum partes, eis, quae in itineribus collegerat, diligentius et dispositius consignatis retractaret adque unum corpus coniungeret[1]). Qua in re mirum videri potest, cur non narrationes illas Cyrenaeorum IV 154 sqq. coniunxerit cum eis, quae II 181 de Cyrenaeis commemorantur. Quod aut ita explanari potest, ut dicamus, Herodotum iam antea (post annum 455) in Aegypto versatum, postquam quae de Cyrenaeis rebusque Libycis cognovit, in libro IV, quo nunc utimur, descripsit, inter annum 444 et 432, quo tempore constat eum Athenis fuisse, iterum in Aegyptum profectum esse quaeque omnino de hac terra memoratu digna invenerit, in libro secundo conscripsisse. Facile enim fieri potuit, ut Herodotus Thuriis Africam vel Aegyptum et inde Athenas peteret. Sin autem scriptorem quis iterum ac saepius

---

[1]) Nescio an hoc Plinii verba (h. n. XII 18) ‚historiam suam condidit Thuriis' significare videantur.

in Aegypto versatum esse concedere nolet, facere idem non poterit, quin eum utrumque, quod narratur de Cyrenaeis, in eodem illo itinere inter annum 455 et 445 in Aegyptum facto accepisse statuat. Neque tamen relata ea Cyrenaeorum coniuncta inter se in opus suum recepit, sed in eodem retractando suum cuique locum idoneum attribuit. Tum quoque apto historiarum loco inseruit et multos ex eorum locorum numero, quibus ad antecedentia aut ad insequentia nos remittit, et nonnullos, qui pertinent ad ea, quae initio belli Peloponnesiaci facta sunt, velut VI 98, VII 137, 233, IX 73, neque ex eis necessaria ratione cogendum est, libros VII—IX intra annum 431 et 424, quem post annum nullum factum ab Herodoto commemoratur, confectos esse. Additamenta enim quaedam in opere suo condendo Herodoti animo obversata fuisse, IV 30 ipse profitetur[1]). Quod vero ad illos attinet locos, quibus ad alias historiarum partes revocamur sive priores sive posteriores, eos eodem illo tempore conscriptos esse verisimile est, cum totius operis summa ad usum legentium accommodanda erat; quod perfectis longis itineribus Thuriis vel Athenis factum esse arbitramur, ubi morte impeditus est summam operi suo manum imponere. Vix enim credibile est, alio modo fieri potuisse, ut auctor de hac illave re alio loco sese dicturum pollicitus, promissi fidem non praestaret, nisi forte putamus, eum promissi sui non meminisse, quod iam alii refutaverunt[2]).

Singulas igitur historiarum partes per se conscriptas neque eodem, quo nos utimur, ordine compositas esse, cum ex

---

[1]) *προσθήκας γὰρ δή μοι ὁ λόγος ἐξ ἀρχῆς ἐδίζητο.* Stein annotat. ad IX 83.

[2]) Roese, progr. gymn. Gissens. 1879.

eis, quae exposui, iure existimare posse mihi videor, tum ex eis, quae Buedinger[1]) de historiarum libro secundo disseruit. qui verum esse, quod diximus, ex libro illo optime cerni posse demonstravit. Sed paullo longius procedere videntur, qui omnium illarum partium singularum certos fines diligentissime distinguere student, inter quos et Nitzschium Bauerumque numero; quorum utrique tamen hac in re aliquid concedendum erit, illi, Herodotum Athenis e gentium quarundam traditione narrationes suas petivisse, huic. singulas historiarum partes plerasque separatim primum conscriptas esse. Sed fieri non posse arbitror, ut partes illae, sicut primo sunt conscriptae, deinde recognosci possint, quoniam primo adumbratae, postea retractatae multisque ac diversis rebus auctae adeo commutatae sunt, ut pristina forma prorsus fere oblitteraretur.

Publica vero, quae statuit Nitzsch relata vel omnino ampliora, eaque in certam formam redacta apud Herodotum offerri his de causis probabile non videtur.

Quaecunque de bellis Persicis rettulit auctor, ex singulis narrationibus vel singulorum hominum memoria repetivit, nulla certa usus ratione, qua verum a falso dignosceret, nullo certo consilio, unam traditionem unice sequendi alteramve, quae maxime videretur esse probabilis. Et quis est, qui hanc scribendi rationem ab eo, qui primus viam ad iustam historiae scribendae rationem ingressus sit, postulet? Rem profecto difficillimam puto, discernere inter ea, quae fide historica, h. e. annalium monumentis confirmata

---

[1]) Zur aegypt. Forschung Hs., Sitzungsber. d. phil. hist. Cl. d. kais. Akad. Wien 1873 LXXII.

apud Herodotum referuntur et inter ea, quae fabulae propiora sunt quam historiae, ut suo iure Cicero iudicet: ‚Apud Herodotum, patrem historiae, innumerabiles fabulae' (legg. I 1) et Gellius: ‚Herodotus, homo fabulator'[1]. Nec solum fabulae et res obscurae et ad numen divinum accommodatae offeruntur, verum etiam multa, quae inter se repugnant, multa, imprimis de rebus in Boeotia gestis, minora dictu habenda, cum graviora omnino non referantur, quae, si Herodotus Lacedaemone aut aliunde certam quandam accepit traditionem, praetermittere non potuit. Ex singulorum igitur narrationibus, minus ex publicis traditionibus originem ducit, quod Herodotus, nisi ex ipsius contemplatione enarravit, aliunde rettulit.

Itaque ut quaestiones nostras de compositionis genere partium quarundam Herodoti historiarum ad finem perducamus, brevi, si placet, comprehendamus et ea, quae aliis concedi posse arbitramur et ea, de quibus aliter sentimus.

Concedimus, Herodotum Athenis gentium quarundam traditionibus, imprimis gentis Philaidarum et Alcmaeonidarum annalibus usum fuisse; quae partes historiarum ad illas traditiones redeant, Nitzsch p. 243 optime exposuit. Nec minus Lacedaemoniorum traditionibus vel narrationibus usus est scriptor, quod plane apparet ex eis locis, quibus Lacedaemoniorum virtus libere et aperte comprobatur. Quos locos Nitzsch p. 254 perspicue demonstravit. Causae quoque, quibus Athenienses et Lacedaemonii anno 479 in bellis gerendis permoti sunt, ut hoc illudve sequerentur consilium,

[1]) cf. etiam Strab. I 43: *Θεόπομπος φήσας ὅτι καὶ μύθους ἐν ταῖς ἱστορίαις ἐρεῖ, ὡς Ἡρόδοτος καὶ Κτησίας καὶ οἱ τὰ Ἰνδικὰ γράψαντες.*

a Nitzschio tanta perspicuitate apertae et expositae sunt, ut rem ita esse prorsus mihi persuaserim. Sed qua ratione ea ex singulis historiarum partibus deduci possint, quousque pertineat origo partium earum, quae publicis Lacedaemoniorum narrationibus tribuuntur, enodari atque accuratius definiri posse minus probari potest minimeque illud, omnes illas traditiones certis finibus circumscriptas fuisse.

Non enim, si historia rerum cum Persis gestarum in universum uno tenore conscripta videtur, hoc e traditionum illarum genere atque forma intellegitur, sed inde, quod et tempora, quibus conscripta est, non multum distabant ab illis, quibus res gerebantur, et permulti erant bellorum illorum socii, qui Herodoto, quae de rebus cum Persis gestis percunctabatur, sermone inter omnes congruente memoriter exponere potuerunt.

Iam paucis comprehendere liceat, de quibus aliter sentimus ac Nitzsch, Bauer, alii, quaeque ex eis, quae attulimus, intellegi posse arbitramur.

I. *Λόγοι* in prioribus historiarum libris non intelligendi sunt certae quaedam eaeque ampliores traditiones, sed et singulae narrationes et partes quaedam, capita totius operis historici.

II. *Λόγοι* in posterioribus historiarum libris, qui sunt de bellis Persicis, plerumque singulas quasdam vel hominum vel gentium traditiones significant, quae non certis finibus circumscriptae, accuratius discerni non possunt.

III. Historia rerum cum Persis gestarum prius conscripta est, quam plerique libri nunc antecedentes, et ampliores quidem illius partes iam anno 445 perfectae erant.

IV. Fides atque auctoritas scriptoris non tanta est, quanta et a Nitzschio et a plerisque aliis viris doctis proponitur, quoniam in eligenda materia diligentia quaedam saepe omittitur.

Nam quaecunque memoratu digna invenit, rettulit scriptor noster, non solum res gestas, sed etiam fabulas, certaque requiritur ratio, qua verum a falso discernitur. Sed quae cum ita sint, tamen inter antiquorum temporum historicos haud dubie Herodotus primum obtinet locum, quippe qui vestigia rerum historicarum indagandi studiosissimus neque ira neque studio in opere suo conscribendo commotus primus viam ad iustam scribendi rationem ingressus est.

VITA.

Natus sum Alfredus Eduardus Doehler Marchicus Brandenburgii die XXIV Mensis Martii a. h. s. LVIII patre Eduardo, ludi litterarum magistro, quem ante V annos morbo gravissimo conflictatum morte mihi ereptum vehementer doleo, et matre Emilia e gente Schulz. Fidem profiteor evangelicam. A patre litterarum elementis privatim instructus frequentavi gymnasium Brandenburgense, unde, vere a. h. s. LXXVIII testimonium maturitatis adeptus, primum Berolinum me contuli, ut disciplinam militarem absolverem. Deinde Lipsiam transgressus interfui scholis, quas habuerunt viri illi illustrissimi L. Lange, G. Curtius, O. Ribbeck, H. Lipsius, Ed. Meyer, alii. Autumno a. h. s. LXXX Berolinum redire constitui, ut audirem, quae docuerunt A. Kirchhoff, E. Curtius, Vahlen, Steinthal, alii. Praeterea societatis philologicae exercitationibus E. Hübner rectore interfui. Denique paschali tempore a. h. s. LXXXI, ut studia mea ad finem perducerem, universitatem Gottingensem petivi, ubi me docuerunt viri illi doctissimi C. Volquardsen, K. Dilthey, W. Müller, I. Baumann, Weiland, Gilbert, Bruns, praecipue autem H. Sauppe, E. d. Leutsch, Fr. Wieseler, quorum in seminariis versatus sum quibusque in perpetuum gratiam habebo.

Mense Februario a. LXXXIV h. s. examine pro facultate docendi Gottingae superato in Academia Equestri Brandenburgensi per duo semestria publicae scholae usum ac disciplinam expertus mense Aprili anni insequentis Zuellichaviam devocatus sum, ut in paedagogio illo regio praeceptoris ordinarii absentis officia suscipiam inspectorisque adiuncti munere fungar. Inde paschali tempore huius anni Gottingam me contuli, ut in bibliotheca regia ibi studiis privatis me dedam.